

ipsorum heredes prelibate Margarete sepedicta duodecim^a milia marcharum puri argenti assignare et donacionem propter nupcias dictam morengawe redimere teneantur. (5) Si dictus dominus Lodowicus Romanorum rex et ipsorum heredes dicte Margarete filie nostre antedicta duodecim milia marcharum puri argenti non solverint et donacionem prefatam non redemerint, de quolibet millenario puri argenti centum marchas puri argenti in certis redditibus terrarum, municionum, castrorum, civitatum, villarum, opidorum cum ipsarum attinenciis universis singulis annis pro ipsius Margarete usibus libere assignabunt, prestita caucione et certitudine sufficiente, ut supra, cum terris, municionibus, castris, civitatibus, villis, opidis, ipsarum redditibus singulis, proprietatibus et possessionibus et predictorum principum omnium apertis litteris eorundem sigillorum appensione super hiis omnibus firmiter roboratis, ne ab eadem Margareta temporibus vite sue omnia supradicta, scilicet terre, municiones, castra, civitates, ville, opida seu quicquam de eorundem omnium attinenciis vel redditibus aliququaliter auferantur, donec sibi de omnibus plenarie et integraliter fuerit satisfactum. (6) Si vero Deus ipsam Margaretam filiam nostram ab hoc seculo vocare dignetur, antequam ad annos discrecionis pervenerit, dicti principes domini Lodowicus rex Romanorum et Lodowicus marchio Brandeburgensis filius eiusdem nobis Cristoforo et domino Erico filio nostro regibus Dacie duodecim milia marcharum puri argenti in terminis superius expressis, scilicet infra diem et annum a die mortis dicte Margarete filie nostre sex milia marcharum puri argenti, tria milia marcharum puri argenti in fine secundi anni primo anno proximo subsequentis et residua tria milia marcharum puri argenti in fine tercii anni duobus primis annis immediate subsequentis exsolvant totaliter et exponant. Si eciam post annos discrecionis ipsam Margaretam ab hoc seculo sine prolis procreacione Deus vocare voluerit, de predictis duodecim milibus marcharum puri argenti secundum debitam iuris tramitem stare debeat et manere. In cuius facti evidenciam nos Iohannes Dei gracia comes Holzsacie et Stormarie, qui dicte placitacionis tractatui interfuimus, litteras presentes sigilli nostri munimine in testimonium fecimus roborari.

Datum Sicburgh, anno Domini millesimo trescentesimo vicesimo tercio, die beate Margarete virginis et martiris.

a) 'duodecim' wohl auf Rasur.